

Eilhard Lubin Bocatius Hagius

**Disputationum De Veritate Religionis Christianae, Ex P. Mornaei, De Eadem Libro  
: Octava, Quod Deus Mundum Ex Nihilo Crearit**

Rostochii: Reusnerus, 1601

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn75664402X>

Druck Freier  Zugang



R U. theol.  
Lubinus, Eilh.  
d'isp. de veritate relig.  
christianae 1-24.  
1602:03.  
1601-1602



Contenta:

- ① Frid. Cressius, De veritate religionis christianae I 1601
- ② Das. Rezzius, De ver. rel. chr. II 1601
- ③ Hart. Kallerwordian, De ver. rel. chr. III 1601
- ④ Joh. Buxlinus, De ver. rel. chr. IV 1601
- ⑤ Abr. Drentrot, De ver. rel. chr. V 1601
- ⑥ Joh. Frisius, De ver. rel. chr. VI 1601
- ⑦ Pet. Boethius, De ver. rel. chr. VII 1601
- ⑧ Boc. Hagius, De ver. rel. chr. VIII 1601
- ⑨ Dan. Nicolai, De ver. rel. chr. IX 1601
- ⑩ Joh. Wataham, De ver. rel. chr. X 1602
- ⑪ Joen Vintor, De ver. rel. chr. XI 1602
- ⑫ Werner. Fabricius, De ver. rel. chr. XII 1602
- ⑬ Paul. Fickius, De ver. rel. chr. XIII 1602
- ⑭ Frid. Cressius, De ver. rel. chr. XIV 1602
- ⑮ Das. Rezzius, De ver. rel. chr. XV 1602
- ⑯ Hart. Kallerwordian, De ver. rel. chr. XVI 1602
- ⑰ Joh. Buxlinus, De ver. rel. chr. XVII 1602
- ⑱ Werner. Fabricius, De ver. rel. chr. XVIII 1602
- ⑲ Joh. Frisius, De ver. rel. chr. XIX 1602
- ⑳ Pet. Boethius, De ver. rel. chr. XX 1602
- ㉑ Dan. Nicolai, De ver. rel. chr. XXI 1602
- ㉒ Joh. Wataham, De ver. rel. chr. XXII 1602
- ㉓ Joen Vintor, De ver. rel. chr. XXIII 1602
- ㉔ Paul. Fickius, De ver. rel. chr. XXIV 1602



8.

Disputationum  
DE VERITATE  
RELIGIONIS

CHRISTIANÆ,  
EX P. MORNÆI, DE  
EADEM LIBRO,  
*Caput X.*

Octava,

QVOD DEVS MVNDVM  
EX NIHILO CREARIT.

*Quam*

DEO DVCE ET AVSPICE  
P R A E S I D E  
EILHARDO LVBINO,

*In alma Rosarum Academia defen-  
dere conabitur*

BOCATIVS HAGIVS  
Strandenfis,

*Hora & loco consueto.*

ROSTOCHII  
Exprimebat Christophorus Reufnerus,  
ANNO M. D. C. I.



DE VERTUTIBUS  
RELIIGIOSIS  
CHRISTIANE  
BY P. M. O. M. A. D. A.  
LOND. 1700.

OCULVS

QVOD DEVS MVNIVM  
ET NIVLO CREATV

QVANTVS

DEO DECE ET ANTE

ET NIVLO

ELLYAND O. L. N. I. O.

IN NIVLO

DEO DECE

BOCATIONVS NIVLO

ET NIVLO


ET NIVLO

ROSTOCKI

Explicat: Christophorus Rostocki

ANNO M. DC. LXX.





ETN ΘΕΩ

DISPUTATIO OCTAVA,  
QVOD DEVS MVNDVM EX  
*Nihilo creavit.*

I.

**R**estat tertia de Mundo quaestio, ex materiâ præjacentē, an verò ex Nihilo à Deo creatus sit.

II.

Deum autem ex nihilo aliquid creare, & infinitum illud inter ENS & NIHIL spatium adimplere posse, ex infinitâ ejus virtute & potentiâ comprobari potest, quæ, quòd infinita superare possit, infinita est, & dicitur.

III.

Qui verò hoc negant, stuporem & cæcitatem suam produnt, dum naturæ auctorem & causam, ad sui effectus naturæ leges alligant, & ex humanâ imbecillitate infinitam illam æterni Entis omnipotentiam metiuntur.

IV.

Et quæ tamen humana imbecillitas cum multa etiam alijs hominibus admiranda, & aliquid quodammodo ex nihilo, producat, quanto majora possit DEI omnipotentia, ad quam omnia creata collata nihil sunt.

V.

Quid si DEVS materiâ indiguit, aut illam fecit ex nihilo & sic habemus quod volumus, aut illa DEO coæterna fuit, & sic duo infinita erunt, quod est portentotissimum.

VI.

Præterea materia, ut ipsi fatentur, formâ carens, essentiam non habet. Formam ergo vel essentiam qui novam facit, ille



ille creat, & aliquid ex nihilo producit. Quod cum in naturâ, auctore DEO, quotidie fieri videamus & fateamur: Concedamus oportet infinitâ DEI virtute aliquid ex Nihilo fieri.

VII.

Cum autem infinita virtus se ad omnia finita æqualiter habeat, qui fateatur naturæ auctorem DEVM vel vilissimæ creaturæ essentiam posse producere, etiam universum mundum ex Nihilo producere potuisse fateatur oportet.

VIII.

Deinde, cum quidquid in unoquoque rerum naturæ ordine primum est plerumque causâ sit in eodem ordine subjectorum Deusque omnium sanorum iudicio summum ENS sit omnium Eutium, unus & solus existens, omniumque Dominus: illorum omnium etiam necessario auctor & creator erit.

IX.

Quod obijciunt nihil hic ex nihilo fieri, inve nihilum resolvit, stupidum est, à cursu naturæ ad auctorem naturæ ductum argumentum & ante refutatum. Naturæ autem cursum cum Deus aliquandiu subsistere voluerit, talem esse oportuit.

X.

Interim tamen quando arbores vasta animalia, homines ipsi ex exiguo principio & nihilo quasi orti, suis mirandis virtutibus ornantur, inque pulveris pugillum exiguum rursus quasi evanescent: Qui autem ex tam vili inque tantillo tot & tanta miracula potuit producere, vitam sensum, & motum; etiam vile & tantillum illud producere omnino potuit.

XI.

Cumque videamus juxta præcos in Elementa, juxta recentiores in olea, sales, & aquas tanquam communem materiam omnia resolvit; certè artifex ille, qui uni rei tam diversas & contrarias formas potest imprimere, non minus facit, quam si aliquid faciat ex nihilo.

XII.

Etenim in singularum rerum generatione particularem aliquam creationem possumus animadvertere. Cum enim materia nulla essentia sit, sed forma, forma autem quæ producitur ante  
non



non fuerit, fit in singularum rerum generatione creatio, & qui format necessario & creat.

XIII.

Cumque in una eademque re diversarum partium diversæ virtutes & facultates diversas formas indicent, sequetur necessario, in una etiam re diversas esse formas, substantias, & creationes.

XIV.

Neque verò ex Elementorum mixtione forma esse potest. Quæ Crâsis si materia est, est mixtio diversarum formarum in elementis, & quia mixta, æterna esse nequit.

XV.

Præterea in evulsâ arbore, & mortuo animali aut homine, compages corporea ex crâsi elementorum constans, aliquandiu remanet, cum forma substantialis, quæ non ab Elementis, nempe vita, sensus, & ratio jam deserit, suoque digressu arborum truncum, animal cadaver reliquerit.

XVI.

Porro in dejectâ arbore, è quâ vita & forma substantialis jam abiit, cortex, lignum, folium, flores, fructus, peculiare & sæpe contrarias virtutes reliquas obtinet, quarum & singularum singulæ sunt formæ peculiare, præter totalem illam integræ arboris formam vel vitam, quæ totius arboris formæ non commoventur, sed supersunt.

XVII.

Si ergo elementorum crâsis generum differentiam nequit constituere, inter vitam plantarum, sensum animalium, rationem hominum; longè minus id præstabit inter species generis, inter quercum & corylum, inter leonem & equum; longè adhuc minus inter individua ejusdem speciei, ut in hominibus, ut Castor equis, Pollux pugnis delectetur. Longè adhuc minus inter unius individui partes, ut exempli gratiâ labruscæ folia frigescent, medulla urat.

XVIII.

Et quæ mortua elementa vitam præsent, sursum & deorsum necessario lata motum voluntarium, sensibus subjecta & objecta



objecta sensum? Vnde patet differentiam illam substantialem, non à materiâ, sed à formâ esse. Quam quisquis vel in minimâ re è Deo produci concedit, eo ipso Deum mundi creatorem confitetur; cujus infinita virtus ad omnia maxima & minima æqualiter se habet.

XIX.

Si denique objiciant formam è potentiâ materiæ educi, absurda proferunt. Cum enim potentia illa materiæ purè passiva substantia non sit ( sic enim forma esset, & actus ) sed qualitas & accidens, si Deus substantiam educit, ex potentiâ passivâ alterius, ex materiâ, qualitate longè viliorem, quæ in & à se nihil est; quidni illam multo magis ex infinitâ potentia suâ possit educere?

XX.

Docuerunt hoc antiquissimi Philosophi, quorum primus Hermes, Deum Verbo suo Mundum, Elementa, hominem, omnia creasse fatetur. Pythagoras & prisci DEVM vel unum, omnes res & materiam ipsam fecisse asserunt. Idem sensit & Eudorus, Archænetus, Brotinus, Pythagorici; quos secutus est Plato, qui materiam essentiam non esse dixit, & nothâ ratione cognoscendam, quâ omni formâ carere intelligatur.

XXI.

Aristoteles principia naturalium, materiam, formam & privationem in mundo suo æterno quidem commentus est. Verum principia illa Aristotelis artis solummodo sunt voces eò inventæ ut vicissitudo generationis & corruptionis rerum naturalium facilius intelligantur, Materiam scilicet unâ formâ privari, ut aliam induat.

XXII.

Animam tamen à materia & elementis non esse, sed extrinsecus à Deo esse fatetur. Partes etiam dissimulares è mixtione elementorum non esse. Sed nec simularium partium propriam essentiam calido & frigido, vel Elementorum mixtioni deberi. Cum etiam conjunctionibus cælestibus vires producendi animalia & homines, & materiam ipsam concedat: Non obscure indicat Deum, quem supra cælum altissimè collocat, illa omnia producere posse.

Hinc



## XXIII.

Hinc Theophrastus dixit, DEVM omnia ex nihilo creasse, Et Algazel contra Averroem, DEVM materia non indigere contendit. Aphrodisaus autem fatetur multarum rerum effectus aliò, quam ad Elementorum mixtionem referendos esse.

## XXIV.

Platonici quidam ingenio indulgentes cum Peripateticis in avia transversum rapiuntur. Plotinus verò diviniòs, Dei contemplationis actus & generationes esse docet à materià & instrumentis materialibus prorsus alienas. Deum vocat τὸ ὑπερῶς ὄν, quod superessentiale est, Res creatas τὰ μὴ ὄντως ὄντα, quæ verè non sùnt. Materiam verò τὸ ὄντως μὴ ὄν, quod verè & essentialiter prorsus non est.

## XXV.

Quam describit, quod sit deformitas deformitatum, defectus summus, omnium defectuum & malorum origo, per absentiam omnis boni, & entis concipienda, neque essentia, neque quantitas, neque qualitas, neque accidens propriè, imò neque privatio, quâ longè sit deterior, cum illa subjectum reliquum habeat. Quæ tamen interim non sit nihil, sed quasi spatium vacuum, infinitum, Ens non Ens; cujus esse in Deo ponit. Quibus verbis nolens volens ipsum nihil describit.

## XXVI.

Prophyrius Deum materiam fecisse probat, quod Deo còterna esse nequeat, ut sint duo principia; eo quod Deus Bonum sit agens, materia verò Malum & patiens. Quæ contrarietas ab invicem non oriatur, neque à tertio, cum nihil sit superius, neque à casu, cum ordinem observemus. Quæ materia ob id, si quid sit, à Deo sit facta.

## XXVII.

Et quidem ex Nihilo, eò quod artes exteriora tantum elaborarent. Natura autem perfectior essentiã suã solã actiones perficiat. Deus verò solo suo intellectu individuo mundo substantiam suppeditet. Cujus rei documentum sit ratio illa admiranda in exiguo semine, quæ tot & tanta, tam magna etiam in

minimis



nimis particulis producat. Et quæ ratio naturalis in femine forte materiâ forte indigeat : Deum autem non indigere, qui nullius indigus omnia possit.

XXVIII.

Galenus etiam licet profanior formationum fetus, ut etiam omnium partium naturalium naturæ formatrici & Deo acceptam refert, denique hominum & animalium principium desuper esse, & animam cælitus immitti.

XXIX.

Si ergo principium horum omnium non ab Elementis est, multo minus est à materia. Erit ergo à forma, & ipsa est forma, quæ est substantia, & ab omnipotente formatore, & creatore omnium Deo, Cui laus & gloria, Amen.

## AXIOMATA.

1. *Deus à nullo impeditur.*
2. *Materia omnis mali causa est.*
3. *Materia prima, idem quod nihil.*













